

mergit naves ob suam densitatem) partim ad productionem et nutritionem piscium majorem et saniozem.

Tertio, aer præterquam quod pluvias, nivem, ventum nobis affert, de quibus supra, vitam nobis conservat, cum in eo respiremus; et cor nostrum refrigerat, adeo ut cessante hac respiratione, homo citissime extinguatur. Secundo, instar crystalli seu fenestræ pellucidissimæ lumen cœli nobis admittit et calorem solis advehit. Quandoque contra in nubem condensatur, ut æstum nimium cohibeat velut suavis umbra. Tertio, est medium et quasi vehiculum, quod defert ad nostros sensus omnes rerum imagines et species, formam, figuram, odorem, sonum.

Quarto, ignis quanta homini præstet bona, quis ignorat? Certe apud Romanos gravissima civium pœna erat, aqua et igni interdiceret: sic enim nullus in urbe consistere, sed statim exulare cogebatur, quod hisce duobus elementis homo diu abstinere nequeat. Quomodo enim calefiet, quomodo cibos parabit, quomodo noctu cernet absque igne? Atque idcirco ne rei tam necessariæ copia hominibus ullatenus deesset, facillimam Deus generationem ignis fecit, naturamque illi dedit maxime fertilem suique fœcundam; se namque ignis ipse parit et multiplicat, minimis crescens scintillis, parvoque ortum immensum extenditur. Gignitur ab igne, gignitur luce, motu, corporum attritu, uti ex silice, solis radiorum reflexione ex speculo concavo. Ad hæc plurima ei sunt alimenta, ut facile conservetur, velut est oleum, sæleum, cera, pix, tæda, sulphur, ligna, etc.

IV. Composita ex elementis omnia in bonum hominis creata sunt. Alia quidem ad necessitates et commoditates: uti primo, ad vestimentum tot genera pellium, alia pro hieme ut vulpium, cuniculorum, ovium, luporum, etc. alia pro æstate, ut quæ lana carent. Deinde, ad alimentum, quot in aquis pisces? Quot aves in aere? Quot quadrupedia in terra? Quot genera fructuum, præcocium, serotinorum, ut aliis in vere, aliis in æstate, aliis in autumnum, aliis in hieme possimus victitare? Quot species leguminum tam facile et tam cito maturescentium? Quot genera segetum et granorum, unde proprium hominis conficitur alimentum? Quot species vinorum? Quot lactinia, etc.

Secundo, alia sunt in remedia morborum: et ad hæc quot species herbarum et salubrium radicum, imo et lapidum ad curandos malos humores? Quot genera lignorum quæ ex India adferuntur ad diversarum infirmitatum curam? Quam variæ thermæ et aquæ medicæ, ad varios

morbos curandos, ferventes, frigidæ, tepidæ quot aquæ acidulæ vario discrimine? Denique nullum venenum producit natura, quin ejusdem etiam remedium producat, inquit Isid.

Tertio, alia sunt ad hominum oblectationem tantum: non enim voluit Deus agere cum hominibus, velut dominus cum mancipiis, necessaria solum eis tribuendo: sed ut pater cum filiis et quidem dilectissimis, varias etiam animorum et corporum relaxationes eis instituendo, ita ut nullus sensus exterior careat sua delectatione. Primo, ad oblectandos oculos, quot flores variorum colorum et figurarum producant ultra campi? Quot in hortis rosæ, caryophylla, violæ, lilia; ita ut nec Salomon in omni gloria sua par sit illis, teste Domino? Quanta avium pulchritudo et varietas? Quot colores vel in uno pavone? Quanta colorum varietas in eadem sæpe specie, columbis, gallinis, cuniculis, etc. Quid pulchrius cœlo stellato in serena nocte? Secundo, ad aurium delectationem, quot sunt avium cantus, mira suavitate distincti: luseiniæ, acanthidis, alaudæ, etc. Quot instrumenta musica, quot modulamina? Ipsæ hominum quorundam voces, quam gratiose oblectant, adeoque sæpe irretiunt. Tertio, quot odorifera sunt pro naribus, moschus, zibettum, succinum? Quot flores diversorum odorum? Quot liquores, thus, balsamum, etc. Quarto, ad reficiendum gustum, quot fructuum, carniarum, piscium differentiarum? Quot insuper aromata ad ciborum saporem acuendum, piger, zingiber, caryophyllum, cinnamomum, sal, saccharum, mel, etc. Denique, tactui quot telæ, sericæ bombycinæ, lineæ, tenuissimi et subtilissimi tactus? Quibus accedit copiosum famulitium homini attributum.

Quarto, data ei bruta quasi mancipia, alia quæ jugum trahant, terram proscindant, ut boves et equi; alia dossuaria, ut cameli, asini, elephantæ; alia ad conficienda itinera, bella; alia ad capiendas feras, uti canes diversorum usuum, aquatici, venatorii, pastoritii, domestici, etc. felles muribus capiendis; araneæ muscis. Secundo, homines quasi aulici; quosdam enim fecit Deus ingenio servili et rudi, qui serviant et pareant; alios prudentiores et generosiores, qui præsent et præcipiant; et hos quidem pauciores, quia pauci requirebantur: illos vero longe plures, quia plurima sunt inter homines servitia et ministeria necessario exequenda, ita ut præcipientes possint comparari gemmis pretiosis, quæ sunt rariores: servientes vero lapidibus rudioribus, quorum ingens ubique copia. Atque ita utrisque est consultum: majoribus serviunt minores, minores defenduntur a majoribus.

Quinto, alia sunt ad hominum instructionem, et ad cogitationem creatoris; quomodo omnia nobis inserviunt, quia: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Partim in exemplum honorum morum: politiam docent apes et grues, providentiam formicæ, clementiam leones, temperantiam elephantæ, fidelitatem canes, obedientiam camelus, prudentiam serpentes, simplicitatem columbæ. Partim ad artium et scientiarum comparationem architectonicam docuere hirundines, texturam araneæ, navigandi peritiam mergi, medicinam hirundines, canes, cervi. Partim ut præagiant nobis tempestates, ut pisces exultantes, hirundines profunde volantes, anseres in aquis ludentes, ranæ coaxantes. Navigantibus tempestatem, multa sunt quæ pronuntiant.

V. Mala denique ipsa a Deo in bonum hominis ordinata sunt et ordinantur etiamnum. Ea vero duplicia distingui possunt. Alia mala pœnæ, alia culpæ. Mala pœnæ sunt calamitates, quæ hominum generi inferuntur per eclipses lunæ et solis; per meteora, uti per turbines ventorum, grandinum, fulmina, imbrum et nivium excessum, siccitatem et frigiditatem vehementiam; per elementa, uti per terræ motus, montium rupturas, et ignivomos montes, Ætnam, Vesuvium, fluviorum inundationes, aeris infectionem, ignium incendia: rursus per animalia ferocia, uti leones, ursos; per venenata, ut serpentes, bufones; per noxia, ut apros, vulpes, lupos, bruchos, locustas, verrucas; per infestantia, ut muscas, culices et pulices. Sed hæc omnia, præterquam quod sua habent in aliis commoda, etiam in eo, quod nocent, homini inserviunt, ad emendationem scilicet et correctionem erratorum. Sunt enim velut amaræ quædam medicinæ profligandis vitiis, conservandisque virtutibus admodum efficaces et salutare. Et quemadmodum in republica bene ordinata non solum præmia constituuntur bonis, sed etiam pœnæ malis, et sunt tribunalia, armarium, carceres, vincula, patibula, in commodum, disciplinam et quietem subjectorum: sic in republica hujus mundi habet Deus suos carnifices et supplicia, quibus corripit malos et absterret; creaturæ ipsæ quæ alioqui in servitute homini addictæ sunt, merito contra eum rebelles fiunt, eumque impugnant, cum ipsarum herus, homo Deo communi earum creatori rebellare incipit: sic gens aliqua Germanorum jure meritoque contra principem suum insurgit, ubi is a sedis Romanæ vel imperii Romani obedientia vult discedere. Mala culpæ; sola quidem vere mala sunt et committunt a Deo nequeunt commissa tamen nihilominus

in bonum ordinantur ab eodem Deo, ut alias diximus, in fine præcedentis concionis.

Qua ex re intelligere licet, totum hunc mundum aspectabilem cum omnibus rebus, quas intra se claudit, esse hominis causa constitutum, et veluti ingens aliquod palatium omni suppellectilis genere, omni deliciarum opum et ornamentorum varietate et copia instructissimum, in quo homo constitutus est, ut vitam in eo degens, Deum suum et mundi factorem cognoscat, amet, veneretur et laudet; rebusque sibi attributis ad illius honorem, suam vero salutem et corporis et animæ, juxta præscriptum rationis utatur. Ad hoc enim ipsa creaturarum mundique conformatio perpetuo nos admonet. Ne ergo surdisimus, ad eorum monita; sed nec muti simus, quin potius adaperiamur, et cum Davide et tribus pueris laudemus Deum in et cum omnibus creaturis. His enim ultimus est finis, ut homo Deum laudet, eique gratus existat. Exaltemus igitur vocem cum hodierno populo et dicamus: *Bene omnia fecit*, quia omnia in bonum nostrum. Cui sit laus et honor in sæcula.

CONCIO VIII.

QUANTO BONO SINT ECCLESIE SUÆ CÆREMONIÆ.

I. Manu ducunt laicos ad intelligenda fidei mysteria. — II. Sunt protestatio fidei nostræ. — III. Admonent nos interioris pietatis. — IV. Corda movent ad pietatem et venerationem. — V. Puritatem internam conservant. — VI. Corpus ad venerationem aptant. — VII. Sanctificationem aliquam conferunt.

THEMA.

Bene omnia fecit. Marc. VII.

Si vidissent nostri hæretici, quæ fecit Christus Dominus circa muti hujus curationem, nequaquam exclamassent: *Bene omnia fecit.* Multas enim adhibuit cæremonias, quas illi veluti superstitiones, et ad rem nihil pertinentes, utique reprobassent, risissent et carpissent. Quid enim sibi vult Dominus, cum mittit digitos suos in aures surdi? Cur expuens tangit linguam ejus? Cur respiciens ingemiscit? Cur adjicit: *Ephphetha?* Frustranea, imo superstitiosa sunt hæc omnia, dixissent nostri hæretici. Sic enim cavillantur et irrident nos, cum hæc ipsa facimus in baptismo; et universim sacras omnes cæremonias, quibus utitur Ecclesia. Sed non ita spectatores miraculi istius; ne unus fuit, qui gestum aliquem Christi Domini improbaret; omnes exclamarunt: *Bene omnia fecit.* Quod idem nos dicere possumus de

cæremoniis Ecclesiæ, bene omnes factæ et constitutæ sunt ab Ecclesia. Quod ut agnoscamus, videbimus hæc concione, quanto bono Ecclesiæ sint sacræ cæremoniæ.

I. Cæremoniæ ad fidei mysteria, quæ altissima sunt, facilius intelligenda, laicos manuducunt, unde et *liber laicorum* dicuntur. Nam verba gratia ablutio aquæ in baptismo ablutionem animæ a peccatis significat: impositio manuum in pœnitentia reconciliationem cum Deo: signum crucis, mysterium Trinitatis, et crucifixionis Domini: cereus paschalis, resurrectionem Christi docet: palmæ, triumphum victoriæ et ingressum Christi in Jerusalem: candelæ, purificationem Deiparæ: elevatio hostiæ et calicis in missa, Christi crucifixionem: ornatus templi, splendorem cœlestis regni, in quo beati omnibus gaudiis affluunt.

Quare sicut parvuli discunt legere litteras, ex imaginibus adjunctis: ita rudes in Ecclesia erudiuntur per cæremonias in fidei mysteriis. Veteris legis cæremoniæ docebant rudem populum mysteria circa Christum peragenda, novæ legis cæremoniæ docent mysteria jam peracta.

II. Per eas protestamur et confitemur publice fidem nostram et cultum Dei, ut cum vexillum levamus in processionibus, cum eucharistiam comitamur, cum sacramenta in Ecclesia publice recipimus, missam audimus, imagines veneramur, rosarium gestamus, etc. His enim externis signis declaramus nos Christianos, catholicos, servos Christi, cultores crucis, B. Virginis, sanctorum, etc. Ex foliis cognoscitur arbor, et ex ritibus illis Christianus. Certum quidem est, verum et genuinum Dei cultum in spiritu et voluntate potissimum consistere; nihilominus, si vere Deum amamus, non possumus nos continere, quin cultum et devotionem illam per signa quædam prodamus; et sæpe propter ædificationem proximi necesse est, devotionem et fidem nostram publice ostendere. Hinc de sponsa Christi, Ecclesia, cum cecinisset David, Psal. XLIV. *Omnis gloria ejus, filiæ regis ab intus*, mox adjecit: *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus*.

Pharisæi omnem suam justitiam in externo cultu statuebant, unde et vocantur a Domino *sepulcra dealbata*, Matth. XXIII. hæretici contra omnem externum cultum et cæremoniam aspernantur, solum internum requirunt: catholici pro more suo media incedentes via, utrumque recipiunt, hunc primario, illum secundario, ut sic conditor interioris hominis ab utroque tributum suum recipiat. Certe si vera est interna devotio, vix ita latere potest, ut foras per externa devotionis signa non prorumpat, et se spectantibus

prodat, quemadmodum et amor vehemens latere nescit.

III. Monent eos tamquam signa externa, quid interne facere debeamus, ut dum candelas gestamus in festo purificationis monemur, ut charitate ferveamus, dum incineramur, ut mortem cogitemus dum palmas gerimus, meminerimus vincere hostes animæ. Aspergimur aqua benedicta, ut recordemur baptismi nostri et promissionis in eo factæ: salem benedictum degustamus, ut meminerimus gratiam in baptismo acceptam conservare, siquidem sal conservat carnes. Rursum dum orantes flectimus genua, levamus manus, et tundimus pectus, monemur orare cum humilitate, ardore, compunctione. Dum baptismus peragitur variis cæremoniis, noverimus nos Deo consecrari in templum, et sacrificari, juxta id Jer. XIV. *Tu autem in nobis es Domine, et nomen s. tuum invocatum est super nos*. Dum thus altari et defunctis adhibemus, monemur orationes nostras ad Deum dirigere, ut thuris instar ad ipsum ascendant, et gratum ac placabile sacrificium fiant. Similiter dum ad orationes suos cereos accendunt mulieres, monentur, ut orationem non frigidam sed ardentem fundant ad eum qui *ignis consumens est*, Deum.

Sine hac interiori devotione, sunt cæremoniæ, velut tormenta sine globis explosa, quæ tonant quidem, sed stragem nullam edunt; hoc est orant quidem Ecclesiam et sacramentorum administrationem, sed in cordibus fidelium qui eas non expendunt, vim modicam habent, solummodo devotionem aliquam excitant, et venerationem erga res sacras et sacramenta, dæmones et peccata non sternunt.

IV. Corda fidelium movent, et frigidam virtutem ad divinæ majestatis venerationem accendunt. Magis enim sensibus ducimur quam intelligentia. Unde Thriverus, in apoph. ait: *In gratiam fastidientium comparata sunt condimenta sic ad provocandos segnes quædam cæremoniæ*. Talia sunt, sonitus campanarum in festis, cantus in templis, lumina accensa, tapetes, ministrorum majestas, dignitas, ordo, decor, etc. Ita ut S. Chrys. ho. LXI. ad pop. Antioch. scribat: *Merito existimare posse hominem eo tempore celum aperiri, et se cum cœlestibus conversari*. Sicut enim milites sono tubarum excitantur ad bellum: et sicut is, qui regem conspicit a nobilibus præstantibusque viris regio more coli, et honore affici permovetur ad ejusdem admirationem et venerationem: ita homo fidelis mirum in modum commovetur sacris cæremoniis, et accenditur amore cœlestium rerum. Mirabatur et venerabatur Salomo-

nem regina Saba: *Videns enim domum ejus quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus et habitacula servorum et ordines ministrantium; vestesque eorum et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum, etc.* III. Reg. X. Ad eundem modum Valens imp. Arianus cum fastu et inani pompa Basilii episc. ecclesiam ingressus, ut eam turbaret, cum vidisset populi multitudinem, ordinem, rerum omnium concinnitatem, psalmodiam et Basilii venerandam præsentiam, obstupefactus, et totus mutatus in terram corruisset, nisi quidam ex primoribus tunica correpta imperatorem jam ruentem retinisset, Baron. ann. 370.

V. Puritatem internam, fidem et devotionem conservant: sicut folia tuentur fructus et uvæ, sicut ignem servat cinis, sicut cortex arborem, sicut seps hortum et fructus custodit, sicut capillus Samsonis fortitudinem, quo dempto demitur Ecclesiæ robur, Jud. XVI. Hinc Julianus apostata, ut superstitionem gentiliū in posterum stabiliret, eorum sacra et sacrificia ad instituta nostra accommodare studuit. Unde in idolorum templis constituit subsellia, lectiones et certas horarum preces, scholas peregrinorum et egenorum domicilia, delictorum pœnitentias, teste Greg. Nazianz. orat. in Julian.

Rursum, sicut testa nucis conservat nucleum; ita cæremoniæ fidem, devotionem et justitiam christianam. Tolle testam, tolle cæremonias, et peribit nucleus devotionis.

Hinc mirum non est apud hæreticos nostros omnem pietatem periisse, quia cæremonias eliminarunt, quibus conservatur pietas, ut vinum dolio, circulis et horum ligamentis seu viminibus. Vimina tenent circulos, circuli dolium, dolium tenet vinum. Quod si incidere vimina, dissiliant circuli, deinde tabulæ dolii, denique vinum effluet.

VI. Corpus ipsum ad obsequium et venerationem aptant erudiuntque. Unde dicitur, Ps. LXXXIII. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*, Exodi XII. non solum ut agnus comederetur, sed ut ipsius sanguine etiam postes inungerentur, præcepit Deus. Ut sciremus non solum animam divinis mysteriis pascendam, verum etiam corpus ad obsequium Dei aptandum, ut ex ipsa corporis compositione appareat pietas et cultus Dei. Utrumque Deo debemus, corpus et et animam, ab utroque ergo tributum et homagium suum exigit. Si spiritus tantum sumus, spiritus solus Deum colat. Si vero etiam corpus sumus, corpus etiam Deum colat necesse est.

VII. Sanctificationem aliquam et auxilium Dei efferunt. Aliæ ex institutione quidem Christi, ut

sacramenta: aliæ ob orationem Ecclesiæ, quæ illas comitatur, ut aqua lustralis: aliæ ob devotionem recipientium, ut pectoris tusio, accensio candelarum, etc. non minus enim hæc placent Deo quam rami et vestes Christo a Judæis subtrata: aliæ ex potestate Ecclesiæ, ut exorcismus et insufflatio ad expellendos dæmones, Surius, to. IV. c. XXV. Augusti scribit historiam Genesii mimi, qui cum sociis statuerat imitari Christianorum cæremonias baptismales publico spectaculo ad Diocletianum imp. recreandum. Fingit ergo se ægrum et in lecto collocat, dicens: *O socii, gravatum me invenio. Cui socii: Et quomodo te leviolem faciemus; num fabros nos lignarios reputas, ut securi te leviolem facere queamus?* Et ille: *Cupio baptizari. Ecce?* aiunt illi. *Ut in illo die fugitivus in Christo inveniar*, respondet Genesius. Risit ad hæc imperator: paratur ergo baptismus et quæ ad eum spectant; induitur veste alba, clamans interim serio se Christianum esse. Mox a ministris ad hoc subornatis rapitur fecte ad tribunal et statuitur coram statua Veneris. Ubi incipit Genesius coram imp. et populo palam contestari se non jam irrisorem Christianorum, sed vere Christianorum esse; dum enim per risum baptizaretur, vidisse se Dei manum supra se extensum et juxta se angelos, qui proponebant ei librum, in quo omnia ejus peccata scripta erant, dicebantque per baptismum hunc omnia delenda moxque affusa aqua omni deleta fuisse; monebant insuper ut acceptam gratiam sedulo conservaret. Quare cum se Christianum esse constanter affirmaret ex candescens imp. jussit eum plagis primum, deinde in equuleo torqueri et facibus aduri. Inter hæc Genesii vox erat: *Non est rex præter Christum: pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis*. Itaque martyrii palmam capitis obrunctione promeruit. Ad extremum audiamus quam punitus sit contemptor ss. cinerum. Scribit Cæsarius, l. X. hist. memorab. c. LIII. «Fuisse Confluentiæ carnificem quemdam hominem in officio suo probrum satis, qui cum aliquando tertia feria ante cineres, totam pene noctem in commessationibus expendisset, mane quasi ad abluendas carnes cum quodam suo collega tabernam intravit, cumque ad officium missæ pulsaretur, et fideles ad ecclesiam confluerent, necnon ex eadem taberna, jamque soli hi duo illic remanentes potarent, ait alter carnifici: Certe modo diu nimis expectamus, eamus ergo ad ecclesiam propter sacros cineres. Cui ille, mysterium cinerum irridendo, respondit: Sede, ego tibi dabo cineres, et tu mihi, tollensque cinere de lare jactavit super caput ejus. Et ecce

mox poena irrisiois subsecuta est: nam statim circa caput et faciem, tantum sensit pulverem, ac si follibus ei insufflaretur; cumque territus exclamaret, tantum ore cineris hausit, ut pene suffocatus fuisset. Accurrerunt multi plagam tam mirabilem videntes: ductus est in proximam insulam, in qua non pulvis, sed gramen erat; sed nihil ei profuit: in Rheno, in pomerio, in solario; neque in aliquo loco a turbine cinerum se defendere potuit; a quibus tandem suffocatus poenam irrisiois solvit.»

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

- I. A Christo disce: 1. Indefessum beneficiendi studium. 2. Charitatem. 3. Humilitatem. — II. A turbis disce: 1. Charitatem fraternam. 2. Gratitude. 3. Laudare Deum in operibus suis. — III. A surdo et muto disce: 1. Aperire oculos. 2. Aures. 3. Os. 4. Manum. 5. Nares.

THEMA.

Ephphetha quod est adaperire. Marci VII.

Seitis, auditores, sabbatum nostrum seu dominicum diem datum esse animabus, quemadmodum dies reliqui per hebdomadem dati sunt corporibus. Quoniam igitur hoc tempore per hebdomadem pene omnes occupantur in cura et sustentatione corporis, in frugibus colligendis et reconcondendis in horreum: decet ut subinde in diebus sacris provideamus etiam animæ, et recondamus in cor nostrum eas fruges, unde vivere possit anima. Nonne enim anima plus est quam corpus? Et nam comedente corpore, anima esuriat. Itaque expediamus equos et currum animæ, intellectum, voluntatem, memoriam, et ex agro hodierni evangelii colligamus ac recondamus in corde nostro fruges salutare.

I. A Christo dicimus primo, indefessum beneficiendi studium. Etenim ubi ingressus fuit fines Tyri, sanavit filiam Chananæ. Nunc ubi iterum inde exit, sanat surdum et mutum. Ita nimirum Christus ubi vis locorum reliquit monumenta suæ bonitatis, ac veluti sol terræ globum perambulans, omnia illuminavit, fovit, fecundavit, sicut bene de ipso dixit S. Petrus, Act. X. *Pertransiit beneficiendo et sanando omnes oppressos a diabolo.* Atque hæc est præstantissima ac plane divina virtus beneficentia passim erga omnes effundenda, quo modo sol radios suos in omnes creaturas effundit. « Sicut sol, inquit Epictetus, apud Stob. serm. XLIV. de magistr. non expectat preces, ut exoriatur, sed illico fulget, ac sa-

lutatur ab omnibus, ita neque tu expectaveris plausus, strepitus et laudes, ut benefacias, sed sponte confer beneficia et æque ac sol ambieris. » Theophrastus rogatus, quidnam vitam humanam conservaret, respondit: *Beneficentia.* Alexander Severus imp. rogatus, quis esset optimus, respondit: *Qui amicos muneribus retinet, et inimicos beneficiis ambit, sibi que conciliat.* Atque hæc est virtus, ob quam potissimum homines olim ab ethnicis in deos relati sunt, quod testatur Plin. l. II. c. VII. « Deus inquit est mortali juvare mortalem et hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani, hæc nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi bene meritis gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur. Quippe et aliorum omnium nomina deorum nata sunt ex meritis. » Ratio est, quia Dei proprium est ita abundare omni bono, ut superfluat illudque in alios beneficiendo transfundat. Qui ergo hoc imitantur, Dei formes et quasi Dei filii efficiuntur. Alexander Magnus rogatus, ubi thesauros suos haberet, amicos ostendens: In his scriniis, inquit, Maxim. serm. VI. At nunc multi si thesaurorum suorum ostendere thecas deberent, ganeas et popinas monstrare cogentur. Reperiuntur aliqui, qui sua nomina inscribunt campanis, petris, aliisque rebus memorabilibus, ut sciatur ibi fuisse. Sed hoc vanum est. Alii passim affigunt nomina vel insignia sua parietibus, fenestris et vitris, maxime in cauponis et tabernis, non tam ad gloriam, quam confusionem suam. Alii pejus adhuc relinquunt monumenta suæ malitiæ et turpitudinis: hic debita contracta, ibi furta, alibi adulteria patrata, etc. Et sicut serpens chersydros, fumum qua serpit, emittit: (apud Pererium in Gen.) ita illi foetorem nominis sui. Contra boni odorem bonæ famæ ubicumque morantur, relinquunt et spargunt: quemadmodum apostolus cum suis, II. Corinth. II. *Deus inquit odorem nôtitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Et quemadmodum periodus Christi et sectatorum ejus terminantur in cœlum, ita periodus dæmonis et asseclarum ejus terminantur in oreum: *Gloria eorum stercus*, I. Macch. II.

Ad hæc multis ampagibus et ceremoniis ut voluit Dominus ad curandum surdum; abduxit eum a populo, misit digitos suos in aures ejus, expuit in terram, tetigit linguam ejus, suspiciens in cœlum ingemuit, ut doceret nos præsertim concionatores, deinde magistratus, parentes, heros, præceptores, nulli parcere labori, sed omnia tentare, quo instruantur illi, qui ad Dei verbum et pias adhortationes surdi sunt. Fieri enim po-

test ut improbo hoc labore vincatur tandem illorum surditas atque improbitas. Habemus hujus rei exemplum in vita S. Philippi Nerei, an. Christi 1562. de juvene quodam non ignobili cui Joanni Thomæ nomen fuit. « Ibat is, quotidie ad sermones, magis id ut institutum irrideret, quam ut saluti animæ suæ consulere: hoc ubi advertunt adstantes rem ad beatum patrem deferunt, multaque de istius insolentia quærentur; quibus ille: Sinite eum, inquit, in hac re gerere sibi morem, hominem, quæso æquo animo ferte: sed cum is molestus adhuc esse pergeret, eamque ob rem, qui sermonibus intererant, ipsum iterum ad Philippum deferrent, eadem quæ antea ab eodem audiunt. Interea rem miram operatur Deus, is brevi post tempore cum nemo expectaret, ita ex ejus rei occasione, patrumque consuetudine immutatus est, ad eamque devenit, sermonum, qui ibi habebantur, beneficio, rerum cœlestium intelligentiam, et humanarum contemptum, ut omnibus rebus abdicatis divitiis et honoribus spretis, Christi consilia sequi in animum induxit: ergo addixit se religioni S. Dominici, et in cœnobio S. Mariæ supra Minervam cunctis tam subitam hominis mutationem stupentibus, sacrum habitum quarto idus Februarias sumpsit, qui intra paucos menses novitius pietatis ardore fervens, fiduciaque plenus diem obiit. » Ita Gallonius, in vita S. Nerei.

Secundo, charitatem, siquidem tanta facit propter unum hominem surdum et mutum; apprehendit eum de turba seorsum, mittit digitos in auriculam ejus, expuit in terram, inclinat se, et facit lutum, tangit luto linguam muti, suspiciens in cœlum ingemiscit. Quanto igitur magis laborandum pro unius animæ salute spirituali? Et nos tamen hanc communiter negligimus. Videmus interdum mutos spirituales, qui videlicet vel improbe loquuntur, pejerant, blasphemant, vel nunquam confitentur, vel nunquam orant. Videmus et surdos qui nullam audiunt concionem, nullam admittunt correctionem. Hos apprehendere et sputo salutaris admonitionis, necnon pulvere mortis meditandæ tangere debemus, si Christi charitatem imitari vellemus.

Tertio, humilitatem, quia miraculum et beneficium tam grande præcipit taceri, ad exemplum utique nostrum; nam in ipso vana gloria nullum habere locum potuit. Sic legimus Samsonem discerpisse leonem, et tamen id noluisse indicare patri et matri suæ, Jud. XIII. Nos contra tametsi miraculum nullum facimus, nec leonem interficimus, ob levissima dona vel facta nostra superbimus, gloriamur et celebrari volumus ad instar gallinæ, quæ ubi ovum unum posuit, in

corte huc illuc ambulat et sonora ac strepera voce prodit, simulque perdit ovum suum: sic enim honorem, quem quærit ambitiosus, perdit. E contra humilem insequitur honor, quem is fugit: uti patet ex hodierno evangelio ubi Christus tanto magis prædicabatur, quanto magis id prohibebat. Honor enim, ad instar umbrae, fugientes sequitur, et insequentes fugit.

II. A quibus discimus primo, charitatem fraternam. Adducunt enim mutum ad Christum, et deprecantur illum pro eo, quia id mutus pro se facere non poterat. Sic faciant Christiani, adducendo ad confessionem vel concionem eos, qui per se venire vel nolunt, vel non possunt; infirmos præsertim mature admoneant de penitentia agenda et sacramentis suscipiendis. Imprimis vero parentes adducant ad Christum liberos, domini servos, dominæ ancillas. Magistri discipulos sibi commissos. His enim, ait Christus, quod Joseph dixit fratribus: *Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis, vobiscum*, Gen. XLIII. Idem quoque amicus amico faciat: sic columbæ unguento odorifero perunctæ ab aucupibus ad columbarium adducunt, secum alias, ut scribit S. Basilicus, ep. CLXXV. ita S. Cæcilia adduxit sponsum suum et fratrem ejus ad Christi columbarium: ita cum venisset aliquando Christus in terram Genesar: *Viri loci illius miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent*, Matth. XIV. Itaque unusquisque propinquo, amico vicino, et noto suo nuntiabat Christi adventum etiam ad aliquot milliaria, ut adducerent eorum infirmi ad hunc medicum. Videte Christiani, quid vos facere deceat: si fecerunt hoc Judæi, qui salutem corporis dumtaxat quæsierunt. Laudandus hic etiam Gregorius XIII. papa, qui Judæos Romæ coegit ad audiendum singulis sabbatinis diebus sermonem conversi cujusdam Judæi Andreae, qui fidem nostram probare ex Hebræorum doctoribus Christo antiquioribus norat, unaque Judæorum fraudes sibi perspectas habebat, unde factum, ut multi Hebræi ad Christum se converterint, alii vero obstinati conquesti sint a tempore Abraham talem persecutionem Hebræis illatam non fuisse. Refert Costerus, in hac dom. Durat etiamnum ea lex pontificia Romæ, qua ad concionem sabbatinam sub gravi muleta coguntur.

Secundo, gratitudinem, prædicant enim Christi miraculum et beneficium, et tanto magis, quanto magis tacere jubebantur: quo facto declarant zelum suum erga Dei gloriam, dum neque tacere jussi tacent. Sic quoties nos beneficium a